

EPISTOLA

Tibi autem illustrissime Elector, harum tabularum editionem offero, tum quia scio, T. C. amare & magnificare studia Mathematica, quibus olim tantum principes & reges operam dedere. Huius rei exempla proferrem, nisi præfationis modum excedere viderer, tum quia hoc infelici seculo hisce studijs opus est patrono, qui ea ab iniurijs & calumnijs imperitorum & operum diuinorum contentemptorum vindicet. DEVM æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, vt tuam illustrissimam excellentiam, totamq; illustriss. domum Saxoniae saluam & incolumem ad Reipub. & propriarum terrarum tutelam atq; custodiam benignè conseruet & tuæ celsitudinis consilia & actiones semper & omnibus in rebus ac negocijs fortunet, Datae Vuitebergæ Anno 1587. Augusti die decimo. Hoc die ante annos 1514, tota vrbs Hierosolymorum post diuturnam sex mensium obsidionem vna cum templo incensa est, cuius conflagratio durauit vsq; ad octauum Septembris diem, qui est natalis Mariæ virginis matris Domini, vbi tota vrbs euersa & solo æquata fuit.

Celsitud. Tuæ
Subiectissimus

M. Iohannes Hagius
Vuitebergensis.